



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ascensus Moysis in montem Seu De Oratione Tractatus Tribus Stationibus ac vijs Purgatiua Illuminatiua Vnitiua distinctus

Crombecius, Johannes

Avdomari, 1618

2. De distractionibus earumq[ue] origine seu fontibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38133

in super, quod oporteat quavis morte tristius existimare, si quis deprecatione privetur. Pulchre nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori quam triduo duntaxat arceri ab orando. Hæc Chrysostomus. Cuius testimonio quod addam non habeo.

Dan. 6

SECTIO SECVNDA.

De distractionibus, earumque origine & fontibus.

1. **Q**uæ de orationis dignitate, necessitate ac fructu diximus, sic vera explorataque sunt, ut nemo sine gravi errore (& ut vult Chrysostomus) dementia negare possit. Nihilominus multi hisce celestibus delicijs minimè assueti, laborem fugiunt: à suis commodis, rerumque caducarum amore invitati, avelli sese patientes. Cumque longissimum diei decursum nugis traducant, ijs absorpti, brevissimum earum tempus reputant: exile autem orationis spatium longissimum; cui, acceleratione molesti officij, quantum possunt nihilominus detrahunt, ut desiderijs explendis insani tribuant, de iactura tantarum opum parùm solliciti.

lib. 1. de orando Deo.

2. Accedit & aliud gravius incommodum: quod ij ipsi, etsi orare videantur, labiaque moveant, animus tamen non raro peregrinatur, ampliusque ibi sunt, ubi vel amant, vel sua eos occupat

occupat

NVI

416

occupat cogitatio; quā aut in orationis loco aut corā eo, cui se loqui arbitrētur; rati Deū sibi admodū astrictum, si brevi tempore vel quippiā diebus singulis, vel hebdomadis, forte etiam mensibus, aliquas preculas officitanter recitent.

3. An distractiones sint, & quid sint ignorat nonnulli: rogatiq; an orationis tempore vagentur animo, negant. Alij etsi id facile discernant; longa tamen assuetudine, atq; incuria, totum orationis tempus, alienis rebus cogitandis absument. Et quia difficile est mentem sistere, & palabundas cogitationes coercere, fracti rei difficultate, habenas laxant, & impetum super venientium cogitationum admittunt; nonnunquam aut natura defectu, aut vitio proprio, aut certē iusto Dei iudicio ac dispensatione. De tribus hisce fontibus sigillatim tractandum est.

Tres fontes unde distractiones oriuntur.

SECTIO TERTIA.

De distractionum fonte, qui à natura imbecillitate proficiscitur.

1. **V**aria sunt hominum ingenia, naturæq; conditiones, temperamēta iuxta ac complexionēs: ex quibus vel ingenij, iudicijq; vivacitas emicat; vel morum venustas elucet: aut etiam stupiditas atq; in-

condita